

populum veniens ait: 'Ponat vir gladium super femur suum; ite et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem et amicum et proximum suum; cecideruntque in die illo quasi XXIII milia hominum.' Ecce qui vitam omnium etiam cum sua morte petiit, paucorum vitam gladio extinxit. Intus arsit ignibus amoris, foris accensus est zelo severitatis. Tanta fuit pietas, ut se pro illis coram Deo morti offerre non dubitaret; tanta severitas, ut eos, quos divinitus feriri timuerat, ipse iudicii gladio feriret. Sic amavit eos, quibus prefuit, ut pro eis nec sibi parceret, et tamen delinquentes sic persecutus est, quos amavit, ut eos etiam Domino parcente prosterneret. Utrobique legatus fortis, utrobique mediator admirabilis, causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum gladiis alligavit. Intus amans divinae irae supplicando obstitit, foris sevens culpam feriendo consumpsit. Succurrit citius omnibus ostensa morte paucorum. Et idcirco omnipotens Deus fidelem famulum suum citius exaudivit agentem^a pro populo, qui audivit^b super populum acturus^c esset ipse pro Deo. In regimine ergo populi utrumque Moyses miscuit, ut nec disciplina deesset misericordiae nec misericordia disciplinae.¹

Cap. XXVIII. Magna² est potentia — possidemus (= *Hincmar cap. 3*).

Konziilsbrief

Epistola Anastasii^d pape urbis Romae ad Anastasium imperatorem. Ut rex ecclesiasticis obtemperet constitutis.³ Illud vero peculiarius pro amore imperii vestri et beatitudine, que consequi poterit regnum, pro apostolico officio predicamus, ut sicut decet et spiritus sanctus monitis nostris oboedientiam predicat, bona omnia vestram^e rem publicam consequantur, sicut in Exodo promittitur: 'Si audieris vocem Domini Dei tui et, que placent, feceris coram ipso et oboedieris preceptis eius et custodieris omnem iustitiam eius, omnem infirmitatem, quam inportavi Aegyptiis, non inportavi in te. Ego enim sum Dominus, qui salvum facio te.' Et illic iterum tuba potentissima canitur: 'Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus postulat a te aliud, quam

a) agente *Hz.* b) *lies* vidit quid. c) aucturus *Hz.* d) Anastasi *Hz.* e) vestra *Hz.*

¹) Vgl. *Hincmar cap. 32.* ²) *Gregor Moral. XXVI 26, MIGNE 76, 374; 375—376; 377—378.* ³) *JK. 744 c. 6 (THIEL, Epistolae Rom. pont. S. 619).*